

quod sibi adhæret ex divina institutione, non se, sed illos à communione ecclesiasticæ unitatis, et ab Ecclesia amputat, atque secernit; et ideo recte S. Irenæus, qui non eo, quo Firmilianus, testu rapiebatur, plane intellexit fore, ut Aiani Episcopi ab Ecclesia præcisi, et amputati haberentur, si à Summo Pontifice propter controversiam de Paschate excommunicarentur, cum Victorem rogavit, « ne tam multas Ecclesias omnino, propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illos usurpatæ observationem, à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputaret; » uti testatur Eusebius hist. eccles. l. 5 c. 24 p. 215 ed. Taurin. 1746. Quod autem objicitur de viris quibusdam pietate præstantibus, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni, et Acacii Constantinopolitani, quique Apostolicæ Sedis communione caruerunt, egregie diluitur à Petro Ballerinio de Vi ac ration. Prim. R. Pont. in append. ad §. 4 c. 11 p. 527 seq. ed. Aug. Vindel. 1770 At Febronius Romani Pontificis excommunicationes metuendas, atque eas ad jurisdictionem referendas negat. Inquit enim, quod « antiqua ratio excommunicationis, ejusque jus non erant effectus jurisdictionis respectu excommunicati. » Nimirum, sicuti olim communicatio concedebatur, cum quis etiam alienos subditos suæ communionis participes faciebat, ita excommunicatio, quæ communioni opponitur, nihil aliud erat quam aliquem à sua communione repellere; quod cum fieri posset etiam in eos, qui subditi non sunt, et in quos nulla propria jurisdictio est, hinc excommunicatio ad jurisdictionem haud pertinere videtur. Tunc videlicet proprie Episcopi jurisdictionem exercent, cum suos subditos excommunicatione plectunt, non item cum animadvertunt in eos, qui sibi subjecti non sunt. Ita argumentatur Febronius, qui Summo Pontifici subesse negat eos, qui aliis Episcopis subsunt; quod sane idem est ac tollere primatum jurisdictionis, quem Summum Pontificem in totam Ecclesiam habere, inter catholicos omnes constat. Sane si hæc jurisdictio sese effundit in Ecclesiam universam, si quotquot in ea versantur Romano Pontifici subjiciuntur, si ipse Christi institutione præest omnibus tum Episcopis, tum ovibus gregis dominici, manifestum est, quod cum ipse fert excommunicationem, non in alienos subditos, sed in eos, quos sibi vere, et proprie jure primatus subjectos habet, sententiam dicit. Itaque quemadmodum excommunicatio Episcopi in suos diocesanos verus est actus jurisdictionis, quoniam in eos imperium, et potestatem habet, ita excommunicatio Romani Pontificis in omnes Christianos, verus, et proprius est jurisdictionis actus, quoniam ita fert indoles, et natura Primatus, ut omnes ei subjiciantur. Ex quo facile evertitur quod Febronius dicit de non metuendis Romanorum Pontificum excommunicationibus. Nam si Pontifex jurisdictionem in omnes Christianos habet, omnes certe tenentur excommunicatione, quæ ab eo lata est. Ineptissima est autem distinctio inter Papam, et Curiam Romanam, cum excommunicatio non à Curia, sed à Summi Pontificis auctoritate vim habeat; eodemque habenda loco est altera distinctio inter Sedem Romanam, eique præsentem Summum Pontificem, quam distinctionem late refutat Ballerinus de Vi ac ration. Primat. c. 14 §. 5 n. 25 seq. p. 241 seq. ed. cit.

(2) Quesnellus in Proposit. 90, quam tum ceteris damnavit Clemens XI. Constit. *Unigenitus* 187 p. 540 t. 10. Bullar. Roman., Ecclesia, inquit, « auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu, saltem præsumpto, totius corporis. » Idem cum eo sentit Van-Espe-nius de Censur. c. 2 §. 1, eodemque recidit sententia Dupinii de Antiq. Eccles. discipl. Diss. 4 c. 1, Febronii de Statu Eccles. c. 1 §. 6, ceterorum, qui damnatam Edmundi Richerii sententiam sequuntur, et clavium potestatem collectim membris Ecclesiæ omnibus inesse arbitrantur, sed ejus usum,

et exercitium, ad Episcopos, et Sacerdotes pertinere. His vero prævit Lutherus, qui in nefario opere, quod Captivitatem Babyloniam inscripsit, opp. t. 2 p. 65 ed. Wittenberg. 1562: omnes, inquit, « sumus sacerdotes, quotquot Christiani sumus; sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant, et Sacerdotium aliud nihil est, quam ministerium. » Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. At innumera sunt testimonia Patrum, qui uno omnium consensu docent, clavium, seu ligandi, solvendique potestatem Ecclesiæ Pastoribus à Christo datam fuisse, illorum autem nemo omnino est, ut animadvertit Bossuetius de l' Histoire des Variations. liv. 15 num. 120 et 121, qui hanc potestatem cunctis Ecclesiæ membris sive disjunctim, sive collectim traditam existimet. Id nosci potest ex Clemente Romano Petri auditore Ep. 1 ad Corint. n. 40 apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col. 28, Ignatio Ep. ad Ephes. n. 6 apud Cotelerium PP. Apost. l. 2 p. 15 ed. Amstelæd. 1724, Irenæo, cujus ex l. 3 Contr. hæres. c. 5 seqq. descripsit, egregieque potestatem illustravit loca Renatus Massuet. Diss. 5 in Oper. S. Irenæi art. 5 n. 16 seqq. t. 2 p. 105 ed. Ven., Polyrate Ephesio, cujus ex epistola sententiam refert Eusebius Histor. l. 5 c. 24 p. 245 ed. Cantabrig., Clemente Alexandrino Pædagog. l. 1 c. 6 p. 120 ed. Ven. 1757, Origene Hom. 22 in Numer. n. 4 t. 2 opp. ed. Maurin. Paris. et Comment. in Matth. tract. 12 n. 14 t. 3 p. 529, Saturnino Tolosatium Episcopo apud Ruinartium Act. martyr. n. 4 seqq. p. 169 seqq. ed. Veron. 1751, Demetrio Alexandrino, Alexandro Hierosolymitano, Teoctisto Cæsariensi, Babyla Antiocheno, Dionysio Alexandrino apud Eusebium hist. l. 6 c. 8, 10, 11. p. 265 seq. c. 27 p. 292, c. 54 p. 298, c. 44 et 46 p. 516 et 519 l. 7 c. 5 p. 525, c. 7, 9, 11 p. 527, 529, 554, Cornelio Romano Ep. ad Cyprianum apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col. 155 seqq., Cypriano Ep. 3 ad Rogat. p. 172 ed. Amstelæd. 1700, Ambrosio de Pœnitent. l. 1 c. 2 n. 7 p. 255 t. 5 ed. Ven. 1781, Athanasio Ep. ad Constant. in Hist. Arianor. ad Monach. n. 44 opp. t. 1 p. 295 ed. Patavii 1777, Gregorio Nazianzeno Orat. 4 p. 51 ed. Colon. 1690, Orat. 9 p. 158 et Orat. 17 p. 271 Basilio Ep. 42 ad Chilonem n. 4 opp. t. 5 part. 1 p. 128 Ep. 69 ad Athanas. n. 1 p. 461 ep. 161 ad Amphiloeh. n. 2 p. 250, Ep. 289 p. 427 ed. Maurin. Paris. 1750, Paciano Ep. 1 ad Sympronian. in Biblioth. PP. t. 4 p. 506 et seqq. ed. Lugd. 1677., Optato Milevitano Conti. Bonatist. l. 2 c. 4 et seqq. p. 55 et l. 7 c. 5 p. 111 et seqq. ed. cit., Joanne Chrysostomo de Sacerdot. l. 2 n. 2 opp. t. 1 p. 572 ed. Montfaucon. Paris. et l. 3 n. 5 p. 385 Homil. 5 ad Pop. Antiochen. n. 2 t. 2 p. 58. Mitto ceteros Ecclesiæ Patres, ut aliquem faciam scribendi modum, et mitto auctoritatem tot Conciliorum, quot usque ad hanc nostram ætatem numerantur, quæ semper ab Episcopis habita sunt, et in quibus contra hæreticos lata est excommunicatio, legesque ecclesiasticæ ab Episcopis constitutæ. Placet tamen adhuc pauca quædam seligere ex innumeris, quæ dari possent, Gallicanæ Ecclesiæ testimonia. Anno 1728 cum ex voluntate Ludovici XV. Christianissimi Regis Parisiis Episcopi 51 ad habenda comitia convenissent, de consultatione quadam sententiam rogati dixerunt, fundamenta impeti fidei nostræ, oppugnarique principia, quæ nos ab hæreticis discernunt. opinione eorum, qui spirituales potestatem à Christo Ecclesiæ datam residere defendunt in integra societate, ab eaque committi, credique Pastoribus usum, et exercitium hujus potestatis. Vide opusculum inscriptum « Representations justes, et respectueuses à Nosseigneurs les Cardinaux, Archevêques, et Evêques assembles extraordinairement à Paris par les ordres du Roy, pour donner à

Sa Majesté leur avis, et jugement sur un cerit imprimé, qui a pour titre *Consultation* etc. His autem Episcopis 51 præverant Antistites centum, qui anno 1720, et antea quadraginta, qui anno 1715 et 1714, Parisiis comitia celebrarant, quibus porro alii plus sexaginta adhererant. Horum autem doctrina fuit. « Il est vrai, que le pouvoir d'excommunier a été donné à l'Eglise en la personne des Premiers Pasteurs, et si la proposition n'alloit pas plus loin, elle seroit orthodoxe; mais il n'est pas vrai, que les Premiers Pasteurs le reçoivent du corps de l'Eglise, c'est à dire des fideles. Le pouvoir d'excommunier fait partie des clefs, que Jesus-Christ même donna aux Apôtres immédiatement, et dans leurs personnes aux Evêques, qui sont leurs successeurs. » Consule les Conférences de Luzon t. 7 Conf. 19 qu. 4 p. 299, L' instruction Pastorale approuvée par l'assemblée de Messieurs les Cardinaux, Archevêques etc. proposée à Messieurs les Prelats absens in Process. verbal. Cleri an. 1715 et 1714 p. 111 ed. an 1714, item Le Memoire présenté au Roy par l'Archevêque de Cambrai l'an 1754. et Déclarations Regis 4 Aug. 1720, et 24 Martii 1750 t. 12. Actor. Cleri Gallic. p. 1642 et 1645. Alia bene multa Gallicanæ Ecclesiæ, quin etiam Ecclesiarum omnium; Patrumque ea de re testimonia habet Mamachi, qui totum hoc argumentum innumeris prope collectis monumentis solide, copioseque tractavit Ep. 3 ad Febron. per tot. l. 2 §. 1 et seq. p. 27 et seq. Videndi sunt etiam ipse Mamachi Antiq. Christian. t. 5. p. 259 et seq., Petavius de Hæresib. Eccl. l. 5 c. 14 et seq. t. 6 p. 165 seq. ed. Ven. 1757; P. la Fontaine Constit. Unigenitus theol. prop. 5 col. 1159, Niccolius in lib. Les prétend. reformez convainc. de schisme, Bossuetius Histor. Variat. l. 15 n. 120 et seq., Jo. Baptista Faure Diss. advers. Richeristas in thesaur. theolog. t. 12 op. 4 p. 263 ed. Ven. 1763, Ballerinius de Potest. eccl. Sum. Pont. et conc. gener. c. 1 §. 1 seqq. p. 1 seqq. ed. Augustæ Vindelic. 1770. Veith. peculiari libro, cui titulus Richerii systema confut., Zaccaria in Anti-Febron. t. 1 c. 4 Diss. 1 et Diss. 3 della Forza obbligatoria della disciplina.

(5) Magistratus, ac Principes ecclesiasticis censuris fuisse subjectos eodem modo, quo reliqui omnes subiciebantur, late ostendit Binghamus *Orig. eccl.* l. 16 c. 3 §. 5 t. 7 p. 150 et seq. et cit. Præcipua ejus rei testimonia sunt in Concilio Eliberitano can. 2, 5, 55, 56; t. 1 concil. col. 992 et 993 Collect. Labbæi; in Concilio Valentino H. t. 6 col. 669; Arelatensi l. can. 7 t. 4 col. 1451; apud Synesium Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1635; Basilium ad Athanas. Ep. 61 p. 155 t. 5 ed. Paris. 1750; Ambrosium Ep. 40 n. 17 ad Thod. opp. t. 6 p. 154 ed. Ven. 1781; Eusebium *Histor. eccl.* l. 6 c. 54. ibique Valesium in Not. p. 298 ed. Cantab.; Jo. Chrysostomum in *S. Babylon. Contr. Julian. et gentil.* n. 6 opp. t. 2 p. 545 ed. Montfauconii Paris.; Paulinum in *Vil. Ambrosii* n. 19, opp. Ambrosii t. 7 p. 6 ed. cit., Theodoretum *Histor.* l. 5 c. 13 p. 4 ed. Cantabrig. Confer etiam *Acta Cleri Gallicani* t. 42 p. 10 et p. 569 seq. ed. Paris. 1740. Henriens, Hungariæ Rex, ab Innocentio III. P. petiit, atque impetravit, ut ejus consiliarii, et familiares, nisi pro manifesta, et rationabili causa, et canonica monitione præmissa, excommunicatione non afficerentur; sicuti patet ex ejus Ep. 51 l. 1 t. 1 p. 295 ed. Baluzii Paris. 1632. Quin etiam Galliarum Regibus à Romanis Pontificibus concessum est, ut in terra Regia, nemo sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, excommunicationem, vel interdictum ferre posset; sicuti constat ex literis Philippi VI. an. 1355, apud de Lauriere t. 2 *Ordinat. Reg. Franc.* p. 105.

Huc referri potest quod *Dict. Jur. Can.* sæpe citat. M. trit. edit. tom. 2 pag. 280 habetur: videlicet: « Los AA. galicanos, entre otros Durand de Mai-

llane, dicen que, por un privilegio incontestable, los reyes de Francia no pueden ser escomulgados, ni sus magistrados en el ejercicio de las funciones de sus destinos. Sin embargo, la historia de los tiempos pasados desmienta este privilegio: y en nuestros dias, el Papa Pio VII, de inmortal memoria sin consideracion á estos privilegios, lanzó una bula de *escomunion* contra el mas poderoso y atrevido de los monarcas que ha tenido la Francia. La bula de escomunion dada por Pio VII contra Napoleon, publicada y fijada en Roma el dia 10 de junio de 1809, que principia: *Quum memoranda illa die*, es uno de los monumentos gloriosos, que acreditan los sagrados é incontestables derechos de la autoridad Pontificia. »

De gravi autem quæstione, de qua in præcedenti nota versatur Cl. Auctor, habenda præ oculis sunt, quæ celeb. opere *De Papa, lib. 2 cap. 8*, tradit comes Josephus de Maistre, quæque ex manusc. versione transcribimus, ita:

« Grande responsabilidad han echado sobre si esos escritores (franceses los mas), que cuestionan si el Sumo Pontifice tiene el derecho de escomulgar á los soberanos, y declaman en general contra el *escándalo de las escomuniones*. Los sabios han adoptado por mejor partido, dejar ciertas cuestiones en una saludable oscuridad; mas cuando son atacados los principios, á la misma sabiduría la es forzoso responder; y hay en ello un mal grave, bien que la imprudencia haya traído esa necesidad. Quanto mas se profundiza en el conocimiento de las cosas, tanto mas clara se descubre la utilidad de no discutir, en especial por escrito, aquello que es imposible definir por leyes; dado que no cabe decidir sino el principio, y toda la dificultad consiste en la aplicacion, que no admite decision escrita. »

« Fenelon dijo laconicamente, en una obra no destinada á la luz pública: « La Iglesia puede escomulgar al Principe; y el Principe puede dar muerte al Pastor. Asi el uno como el otro no debe usar de su derecho, á no ser en el último extremo; pero tal derecho es positivo. » (*Hist. de Fenelon, t. 3 piec. justif. du liv. 7, Mem. n. 8, pag. 479*).

« Hé aqui la verdad incontestable; pero ¿cuál es el último extremo? Es imposible definirle. Preciso es convenir en el principio, y callar sobre las reglas de aplicacion. »

« Con justicia se ha censurado la exagerada doctrina de los que pretenden sustraer al órden sacerdotal de toda jurisdiccion temporal; con no menor justicia podremos censurar la doctrina contraria, que intenta sustraer al poder temporal de toda jurisdiccion espiritual. »

Quod vero excommunicationem spectat à Pio VII latam an. 1809, cujus nuper citato loco meministi presb. André, animadvertere oportet, non prius à Ven. Pont. in lucem missas fuisse literas, quæ continebatur, quam prælator, qui Galliæ solium occupabat, Sanctitatis Sæc. à temporali Rom. Stat. dominio destitutionem pronuntiasset. Nec tamen illo decreto Pius VII specialiter invasorem nominat. Par fuit S. N. B. Papæ regnanti Pio IX rerum conditio, quum an. 1848 Cajetam confugere compulsus fuit. Utrumque, tali in casu, temporalem Romæ Principatum censuris defendentem, non nisi vere in *extremis*, juxta comitis de Maistre phrasim, egisse, affirmare absque difficultate possumus. »

(4) Marsilius Patavinus in Defensor. Pacis sæculo XIV. aliquem excommunicare, atque à Divinis officiis arceri, sine *fidelis Legislatoris*, hoc est, sine Principis auctoritate, nulli Episcopo, aut Sacerdoti, vel eorum collegio licere existimavit. Quotquot sunt Protestantes, qui vel Anglicano schismati adhærent, vel Principi in sacra jus omne tribuunt, vel Ecclesiam collegium

merum esse arbitrantur, et ceteri, qui ei cogentem potestatem adimunt, quique supra descripti sunt, Mar-tilii errorem sequuntur. Sed antea etiam Petrus de Corbaria Anti-Papa, aliique, quorum meminit Joannes XXI. in Extravag. *Dudum ad aulientiam* apud S. Antoninum 4 2 Theol. tit. 11 c. 7 §. 5, asseruerunt, omnem jurisdictionem, quam Prælati habent, majorem, quam alii, ab Imperatore procedere, quod est à Principe etiam jus excommunicationis repetere. Item est error Valdensium, Wicleffi, Joannis Hussi, Lutheri, Calvini, Melanctonis, Van-Espenius de Censur. c. 2 §. 5 laici Principis in judicio censurarum auctoritatem tractur. Auctor anonymus opusculi, cui titulus *La Chiesa è la Repubblica dentro i suoi limiti*, Principes jus habere contendit cognoscendi justitiam, aut injustitiam excommunicationis, idemque sentiant Manettus, Continius Auctor libri *Riflessioni sulla Bolla Cœne*. Pereira *Dottrina dell' antica Chiesa intorno la suprema potestà de Re*. Antonius Genovesius, de *Jure et offic. c. 3 §. 58, in externis actionibus, quæ divina jura propagantur, et in Republica administrantur, Sacerdotium imperio civili subjectum* putat. His præverunt Paulus Sarpus, Fevretus, Simon Vigorius, Du-Pinns, Giannonius, ceteris similes. Sed horum deliramenta late refutarunt M. Antonius Capellus Minorita in lib. Bononiæ edito an. 1610. *Advers. præf. primat. Reg. Angliæ c. 13 et seq.*, Altaserra *Eccles. jurisdict. vindic. advers. Fevretum, Bianchius Adversus Giannonium t. 4 p. 603 et seq.*, Duvalius de *Supr. Pontif. in Eccles. potest. in Bibliot. Pontif. Rocaberti t. 3 p. 405 et seq.*, Franciscus Antonius de Simeonibus de *Rom. Pontif. judic. potest. t. 2 c. 21, de Marca, in libello, quem an. 1646 Barcinone edidit, atque iterum impressit Baluzius in prolegomenis ad opus de Concord. Sacerdot., et Imper., Cardinalis Tenein Arch. Ebrudunensis Mandement. contre le memoire des MM. les 40 Avocats de Paris pour le Sieur Samson p. 17. Auctor tractatus de la Jurisdiction ecclesiastique in t. 6. Auctor. Cleri Gallicani, Archiepiscopus Parisiensis Beaumont in *Celebr. Instruction. an. 1756. De l' autorité de l' Eglise*, Auctor operis *Des deux Puissances*, virique clarissimi Gerbertus princ. Theol. can. sect. 1 de *Jur. Sacr. p. 22 seq. et c. 5 sect. 2 §. 85 et seq. Princip. Theolog. exerg., Zaccaria de Disciplin. diss. 2 et 5, et Anti Febron. vindic. Diss. 12 c. 1, Mamaehius ad Febron. Ep. 1 §. 19 t. 1 p. 501 et seq. Sane Christus non Principibus, sed solis Apostolis, atque in primis Petro tribuit excommunicandi potestatem, quæ in potestate ligandi fundata est, eam ab uno Christo Paulus repetit, eaque semper Ecclesia usa est jure suo, neque ullæ unquam in eo negotio partes laici Principis fuerunt. Sunt autem prope innumera testimonia Patrum, qui laicos Principes in res omnes ecclesiasticas imperium aliquod, et auctoritatem habere negant; atque hi, præter ceteros, sunt Athanasius Histor. Arianor. ad Monach. n. 11 p. 277 n. 14 et 15 p. 278 n. 17 p. 279 n. 53 p. 287 et n. 52 p. 297 opp. t. 1 ed. Patavii 1777, Osius Cordubensis apud Athanasium ib. n. 44 p. 292, Lucifer Calaritanus l. 1 pro Athanas. p. 61 ed. Ven. 1773, Hilarius Pictaviensis l. 1 ad Constant. n. 1 t. 1 col. 535 ed. Veronæ 1750, Liberius Papa apud Athanasium Histor. Arian. n. 56 p. 283, et apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col. 451 et seq., Basilius M. Ep. 225 p. 344 t. 5 ed. Paris. 1750, Gregorius Nazianz. Orat. 17 opp. t. 1 p. 271 ed. Coloniae 1690, Gregorius Nysseus opp. t. 5 p. 506 ed. Paris. an. 165., Ambrosius Ep. 20 n. 19 p. 48 et Ep. 21 ad Valentinian. p. 52 opp. t. 6 ed. Ven. 1781 et Serm. contr. Auxent. n. 5 p. 56, et n. 59 et seq. p. 62 et n. 36 p. 65 t. 6, Martinus Turonensis apud Sulpitium Severum l. 2 Histor. eccles. p. 518 t. 6 Biblioth. PP. ed. Lugd. 1677, Hieronymus in Isaiam c. 17 v. 10 opp. t. 4 col. 725. ed. Vallarsii Veron. et Ep. 11 ad Heliodor. n. 8 col. 55 t. 1, Joannes Chrysostomus Hom. 5 ad**

Pop. Antiochen. p. 53 t. 2 opp. ed. Paris. 1718 l. 5 de Sacerd. c. 14 p. 390 t. 1 et Ep. ad Episc. et Presbyteros detrusos in carcer. t. 5 p. 226 et Ep. ad Innocentium I. P. p. 5, 7 t. eod., Optatus Milevitanus de Schism. Donatis. n. 15 p. 14 ed. Antwerp. 1702, Augustinus Ep. 45 ad Glorium et Eleusium n. 20 col. 97 op. t. 2 ed. Maurin. Ven. 1729, Isidorus Pelusiotus l. 3 Ep. 249 p. 259 ed. Ven. 1745, Gelasius P. Ep. ad Anastas. Imp. apud Labbæum t. 5 conc. col. 508, Felix III. P. Ep. ad Zenonem Imp. apud eundem ib. col. 147, Joannes Damascenus de Imag. or. 2 §. 46 opp. t. 1 p. 359 ed. Le-Quenii Paris. 1712. Idem quoque agnoverunt, ad diserte confessi sunt pii Imperatores Constantinus post habitum Concilium Arelatense (vide Augustinum cit. Ep. 45), Theodosius Ep. ad Synod. Ephesin. an. 451. Par. 1 c. 55 ejusd. Conc. apud Labbæum t. 5 conc. col. 990 ed. cit., et Valentinianus apud Sozomenum Hist. l. 6 c. 7 p. 227 ed. Cantabrig., et Ambrosium Ep. 21 ad Valentinian. opp. t. 6 p. 52 ed. Ven. 1781. Vide etiam Concilium Tridentinum sess. 25 c. 5 de Reform.

13. Excommunicatio tantum fertur in Christianos, quoniam ex Ecclesia expelli non possunt infideles, qui jam extra Ecclesiam sunt (1); et vero fertur à legitima Potestate in eos, qui sibi subjecti sunt. Quare excommunicatio Episcopi illos afficit (2), qui in ejus diœcesi sunt, excommunicatio Summi Pontificis omnes obstringit, quotquot Ecclesiæ in orbe Christiano subsunt, quoniam ejus potestas et jurisdictio complectitur Ecclesiam universam. Parere autem excommunicationi, etiam injustæ, quæ tamen à legitima Potestate lata sit, Christiani omnes debent (3); quoniam subjectorum est obedire legibus, quæ à Præpositis feruntur, neque ipsis de earum justitia agere judicium licet.

(1) *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Inquit Apostolus I. ad Corinth. V. 12.

(2) Ad Episcopos, qui sunt Apostolorum successores, pertinet jus excommunicandi. Præclare S. Thomas in 4 Sent. dist. 18 qu. 2 art. 2 quaest. 1, *In foro conscientiae, inquit, causa agitur inter hominem, et Deum; in foro autem exterioris judicii causa agitur hominis ad hominem, et ideo absolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum, tantum pertinet ad forum pœnitentiæ. Sed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris judicii pertinet; et quia per excommunicationem homo à communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali, et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, majores Prælati possunt excommunicare, non Presbyteri Parochiales.* Hinc in can. 1 c. 16 qu. 2 excommunicatio *Mucro Episcopi* appellatur Paulus Mengonius dissertatione Florentiæ edita an. 1752 de *Eminentiori Parochorum dignitate supra canonicos*, nixus Decretali Alexandri III. in c. 3 de Offic. judic. ordin., demonstrare conatur, etiam Parochos ordinariam in foro exteriori jurisdictionem habere, eosque idcirco ferre excommunicationem posse. Sed eum refutavit Jo. Dominicus Larius alia dissertatione Pisis edita ann. 1755. Revera Parochos ea potestate carere, inter omnes constat, idque, præter ceteros, late ostendit Gonzalez in cit. c. 3 n. 2. Illa

autem Alexandri constitutio, qua Mengonius nilitur, pertinet ad Parochum, qui non ordinario, sed extraordinario jure, videlicet ex peculiari privilegio, aut ex præscripta consuetudine, vel ex alio simili jure excommunicationem inllexerat.

(3) S. Gregorius M. Hom. 26 in Evang. S. Joana. n. 6 opp. t. 1 col. 4556 ed. Paris. 1075, «Is autem, inquit, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel juste, vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.» Confer etiam S. Augustinum de *Baptismo Contr. Donatist.* l. 1 c. 17 opp. t. 9 col. 95 ed. Ven. 1755, Nicolaum I. P. ad Episc. et Cleric. Patriach. Constantinop. Ep. 10 n. 6 apud Labbæum t. 9 concil. col. 1581, et Concilium Quatilineburgense an. 1035 can. 1 apud eundem t. 12 col. 651. Id vero est intelligendum de excommunicatione, quæ evidenter injusta non sit. Nam excommunicatione, quam injustam esse manifesto constat, neque in interno, neque in externo foro aliquem obstringi, fere omnes sentiunt, ut ostendit Fagnanus in c. 11 de Solat. n. 10 et seq. Sed Quesnellus Prop. c. 1, 92, 93, generatim statuit, omnem injustam excommunicationem non esse metuendam, quoniam per eam ab Ecclesia non eximus, sed potius est imitari S. Paulum: et Jesus sanat vulnera, quæ præceptis Primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Petrus de Marca Concord. Sacerd. et Imper. l. 1 c. 3 §. 6 et 7, erimina ecclesiastica, ac sæcularia distinguit, et pro his postremis non nisi injuste, et illegitime censuras infligi posse contendit. Doctrinam hanc, quam pridem Jo. Parisiensis, Gersomus, et quidam alii tradiderant, arripuit Giannonius à Bianchio notatus, et arripuit etiam Pereira in libro *Doctrina della Chiesa* etc. Continius, Auctor libri *Riflexioni sulla Bolla Cœnæ*, excommunicationem tantum propter hæresim, morumque doctrinam ferri posse asseverat, planeque despiciat censuras, quæ propter disciplinam in causis temporalibus, aut mixtis infliguntur. In idem fere recidit sententia Febronii c. 9 §. 7 n. 8 de Stat. Eccles., et Auctoris libri *La Chiesa è la Repubblica* dentro i loro limiti p. 427. Adversus hos omnes copiose, accurateque scripserunt Paulus à Lugduno Anti-Exap. prop. 91 et seq. t. 2, Viva Thes. Quesnell. prop. cit., Fontana Const. *Unigenit.* theolog. prop. t. 5 et 4 cit. prop., Languetius Prem. Avertissem. aux Appel. lan. an. 1748 n. 45, Bianchius in Giannonium t. 2 l. 6 §. 3 n. 5. p. 411, Cl. Zaecaria Diss. 5 della Forza obbligatoria della disciplina p. 279, et Anti-Febron. t. 5 Diss. 5 c. 2. Videndæ sunt etiam les Conférences de Luzon Conf. 49 qu. 5 p. 555 et seq. t. 7. Sane Christus, qui *Ecclesiam non audierit, tamquam ethnicum, et publicanum* haberi voluit; et hoc quidem loco habere potestatem etiam Ecclesiam constituendi disciplinam, inter Catholicos omnes constat. Paulus I ad Corinth. V. 5, excommunicavit incestum Corinthium propter publicum scandalum, quod ad disciplinam pertinet. Sunt autem prope innumera ex antiquitate ecclesiastica monumenta excommunicationum, quæ propter disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis inflictæ sunt. Seligam S. Leonem M. Ep. 4 t. 4 col. 616 ed. Ballerin. Ven., cujus hæc verba sunt: «Hoc itaque admonitio nostra denunciatur, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortium, qui socius esse noluit disciplinæ.» Patres Concilii Arelatensis an. 514 contra Donatistas habiti can. 7 t. 1 Concil. col. 1451 Collect. Labbæi, «de Præsidiis, inquit, qui fideles ad Præsidium prosiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis

agatur, et cum cœperint contra disciplinam agere, tum demum à communione excludantur.» Similiter adversus eos, qui violant disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis, statuta est excommunicatio à Concilio Carthaginiensi IV. c. 95 t. 2 concil. col. 1444 Collect. ejusd., à Concilio Aurelianensi III. Can. 22 et 23 t. 5 col. 1239, à Concilio Arvernensi an. 555 can. 15 t. 5 col. 952, Matisconensi II. anni 585 can. 5 t. 6 col. 675, à Concilio Trullano seu Quini-Sexto can. 69, 71, 74, 96 t. 7 col. 1579 et seq., Constantinopolitana IV. Œcumenico can. 17 t. 10 col. 644 ed. Ven.

14. Quando autem excommunicatio gravissima est inter pœnas ecclesiasticas, non nisi ob grande crimen irrogari debet; cum nihil pejus Christiano homini possit accidere, quam ab Ecclesia separari, eique interdicti sacris, atque aditu, congressuque orthodoxorum. Hinc cum ferenda est excommunicatio, primum expendere oportet genus criminis, ut noscatur, num illud tam gravi pœna sit dignum (1); deinde monendus est criminis, ut se colligat, atque à pravo instituto removeatur (2). Quæ monitio bis, ac tertio repetitur, eaque *competens et canonica* appellatur (3), quoniam ex ea satis constat criminis in peccatis obfirmato animo hærerere.

(1) Can. 41, 42, 43 c. 11 qu. 3. Vide etiam Augustinum de Fid. et oper. c. 19 et 26 opp. t. 11 col. 559 et 558 ed. Ven. 1767, et S. Leonem M. Ep. 10 c. 8 opp. t. 1 col. 640 ed. Ballerin. Ven. 1755.

(2) N. S. Item Collect. Tarracon. Lib. V Tit. 17 de Sent. Excomm. cap. 41: «Quum in Ecclesia Dei non sit major pœna, excommunicationis sententia, caveant Ordinarii, et alii quibus competit, ne illam passim proferant... ne tam gravis pœna pro levibus delictis prolata, in dies vileseat.» Consonat Tolet. an. 1582. Act. 5 Deer. 4.

Præter mortale peccatum, illudque enorme, gravis quoque requiritur causa, ut excommunicationis sententia legitime simul, et prudenter infligatur. Neque enim, nisi abi vulnere medela frustra aliunde petita sit, spiritualis excommunicationis gladius est adhibendus. Ad rem S. Ambrosius lib. I Offic. cap. 27: «Cum dolore enim amputatur etiam quæ putruit pars corporis, et diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi adfectus hominis est, ut optet sanare infirmos, serpentina auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.» Eadem habet S. Leo M. Epist. 95.

Hinc 1 in Universitatem, vel Collegium excommunicationis sententia proferenda non est, *quum nonnunquam contingat innocuos hujusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit.* Concil. Lugdun. in Cap. 5 §. ult. de Sent. Excomm. in 6.

2. Ubi universa quædam multitudo deliquerit, hæc crimen sit enorme, plerumque tamen satius est ab vibrando excommunicationis gladio abstinere. Episcopis cavendum quam quod maxime, ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicent simul et triticum, pluribus demonstrat Augustinus lib. 5 contra *Parmeniarum* cap. 2.

3. Ubi graviora, ac publica timeantur mala, ab distringendo anathematis mucrone aliquantum temperare, omnis œconomiae ratio postulare videtur. Ad rem S. Augustinus ibid. « Quum anathematis quis dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est... Quando ita cuiusque crimen notum est, et omnibus execrabile adparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinae. » Unde Constantium, et Valentem Arianos, Ariariorumque fautores, et Catholicis infestos, publico iudicio anathematizandos, et ingressu Ecclesiae privandos, nunquam censuerunt veteres illi SS. Ecclesiae Episcopi, quod inde gravia in Ecclesiam mala imminere perspexerant.

4. In causis judicialibus aequè civilibus, ac criminalibus, ubi executio realis, vel personalis haberi potest, tam in procedendo, quam in definiendo, ab censuris Ecclesiasticis abstinendum, praescribit Synod. Trident. Sess. 24 Ref. Cap. 5).

- (2) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 5 de Reform., Can. 42 c. 411 qu. 5,
- (5) Cap. 48 de Sentent. excomm., c. 5 eod. in 6.

15. Synodus Lugdunensis, quae habita est Gregorio X. Pontifice, iudicibus sive tres admonitiones, sive unam pro omnibus adhibere permisit; verum una haec admonitio instar omnium est; nam aliquot dierum intervalla sunt observanda, antequam sententia feratur, nisi aliud necessitas fieri jubeat (1). Tridentina Synodus (2), ut coarctaret arbitrium iudicum, qui etiam non admonitos excommunicabant, duas saltem monitiones emittendas statuit, antequam ea poena irrogetur.

- (1) Cap. 9 eod. in 6.
- (2) Concilium Tridentinum loc. cit.

16. Excommunicatus à suo Episcopo ab alio absolvi nequit (1), excepto Summo Pontifice, qui ab aliis inflictam excommunicationem, ex ampla, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictione, remove potest (2). Lata vera ab una Ecclesia excommunicationis sententia, in aliis quoque servanda est (3). Nam ea poena territorio non circumscribitur, sed criminis sequitur, quocumque ipse venerit (4); ac praeterea mutuum foedus, et conjunctio Ecclesiarum ita postulat, ut ab aliis quoque Ecclesiis ratae firmæ habeantur poenae, quas una Ecclesia in fontes constituit. Hinc mos inolevit, ut Ecclesiae per literas encyclicas certiores facerent ceteras Ecclesias de iis, quos communione prohibuerant (5); neque alia nunc disciplina est (6).

- (1) Can. 2 c. 11 qu. 3. Concilium Carthaginense II. c. 7 apud Labbæum t. 2 concil. col. 492 ed. Ven., Lugdunense II. can. 4 t. 6 col. 550, Ivo Carnotensis Ep. 76 opp. par. 2 p. 58 ed. Paris. 1647. Vide Fagnanum in c. 12 de Pœnitent. et remiss. n. 80.

(2) Confer S. Leonem M. Ep. 52 opp. t. 1 col. 859 et seq. ed. Ballerin. Ven. 1753. Mitto reliqua exempla, quorum ecclesiasticae historiae plenae sunt.

(5) Cap. 1 de *Tregua et pace*. Consule praeterea Canones Apostolorum 10 et 25 apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 1 p. 445 et 446 ed. Amstelæd., Concilium Eliberitanum can. 55 t. 1 concil. collect. Labbæi col. 998, Arelatense I. can. 16 ib. col. 1452, Nicænum can. 5 t. 2 ib. col. 65, Antiochenum can. 6 eod. t. 2 col. 587 ib., Sardicense Can. 15 eod. t. 2 col. 687, Cesaraugustanum can. 5 t. 2 col. 1196, Milevitanum can. 18 t. 5 col. 384.

(4) Adis Fagnanum in c. 1 de *Tregua et pace* n. 6 et 7.

(5) Can. 20 c. 11 qu. 5. Vide etiam S. Cyprianum Ep. 59 col. 56 ad *Cornelium* p. 259 ed. Amstelæd. 1700, S. Augustinus Ep. 255 al. 74. ad *Deuterium* opp. t. 2 col. 848 ed. cit., Socratem Histor. I. t. 6 p. 10 ed. Cantabrig., Concilium Toletanum I. can. 11 t. 2 concil. col. 1472 collect. cit.

(6) Consule Pontificale Romanum. tit. 17 par. 5 §. 12 p. 481 ed. Catalani Romae.

TITULUS XIX.

DE INTERDICTO.

1. INTERDICTUM LOCALE, PERSONALE, MIXTUM — 2. GENERALE VEL PARTICULARE. — 3. QUOD GENERALE, QUOD PARTICULARE SIT. — 4. ET 5. GENERALIS INTERDICTI MODUS. — 6. IN QUOS FERATUR INTERDICTUM? — 7. PŒNÆ EORUM, QUI INTERDICTUM VIOLANT. — 8. CESSATIO A DIVINIS.

4.

INTERDICTUM est censura, qua quibusdam locis, aut personis Divinis officiis, Sacramentis, atque usu ecclesiasticae sepulturae interdicuntur. Est autem vel locale, quod locum ipsum afficit, ita ut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat à divinis officiis, à Sacramentis, ab usu Ecclesiasticae sepulturae, non item cum non amplius in eo loco versatur; vel personale, quod personam attingit, et quocumque eat persona, eandem sequitur; vel mixtum, quod et locum, et personam comprehendit.

2. Est item tum locale, tum personale interdictum, generale, vel particulare. Locale interdictum generale est, quod ad integram nationem, regnum, provinciam, civitatem, diocesium pertinet. De utroque hoc interdicto notandum est, quod interdicta civitate, etiam *suburbia, et continentia aedificia*, interdicta Ecclesia, etiam *Capellæ, et Cæmeterium Ecclesiae contigua* interdicta censentur (1).

- (1) Cap. 10 et 17 de Sentent. excomm. in 6.

3. Personale interdictum generale fertur vel in totum Cle-